

XCIV

Ipsa hominis natura, ut idem docet artis oratoriae princeps, ad modulandam quasi orationem procliuis est, eandemque ex tribus omnino sonis, inflexo, acuto, graui, constare cupit, ac distingui. Vno igitur eodemque sono, cauebit orator, ne languescat uox, sed, in uariandis sonis, naturam ducem, ad aurium iudicium uoluptatemque, sequatur

XCV

Voces cogitationum indices sunt, ad easque sua quadam sponte conformari uolunt. Itaque, etsi tono medio in primis utendum est, ad eumque subinde, discessione facta, reuertendum, pro rei tamen enunciandae natura uoces orator effinget nunc sublatas, nunc depresso, nunc emphaticas prorsus, et a reliquis singulari sono distinctas

XCVI

Varietatem soni amare solemus, non uiolentam, sed lenem, non tumultuantem, sed coniunctam cum decore. Quapropter, facto submissiori uoce dicendi initio, pro cuiusque rei proponendae natura, nunc vires assumet uox, nunc remittet, commodeque temperabit

XCVII

Voci subseruit gestus. Illa enim rem edicit, hic significat. Ergo sequetur illam, non antecedet. Et uero, cum sit hic idem insigne rei, de qua dicitur, persuadendae instrumentum, perinde, uti uox, bene et sapienter tractandus est

XCVIII